UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor, Coordinatus, Seu Omnes ...

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

3. An qui dixit hæresim externam, sed postea dubitatur, an dum illam protulit, ita mente senserit, vel illam affirmavit causa ioci, quæritur, an talis hæresis sit reservata? Et an, si propter dubium ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-76372

Visual Library

ſorem habet contra fidem, nec proinde hæreticus eſt.

3. Ad authoritatem verò Stephani Papæ *in c.1. de hæret.* ubi aſſerit dubium in fide eſſe infidelem. Reſpondetur, hoc eſſe verum privativè, quia ſcilicet privatur certitudine aſſenſus neceſſaria ad habitum fidei retinendum: non autem eſſe verum contrariè, quaſi habeat actum fidei contrarium, cum revera non habeat. Secundò reſpondetur, quòd dubius in fide dicitur infidelis, quoad forum externum. Et tandem dico dubium in fide eſſe infidelem, ex mente dicti Pontificis, quotieſcumque hæret, & præterea reflectit ſe ſupra ſuam cogitationem dubiam, & elicit judicium erroneum circa res fidei, ita ut de facto putet illas eſſet tantùm probabiles. Hic ergo, qui hac ratione dubitat, eſt vere infidelis. Opinio igitur noſtra eſt ſatis probabilis, & tuta in praxi, unde Portel *ubi ſuprà*, aſſerit ex conſilio etiam cujuſdam inſignis Theologi, excuſaſſe quemdam, qui dubitabat, an Chriſtus Dominus verè eſſet in Euchariſtia, quia intellectus talis dubitantis dubius, & pendulus fuit, & nullum judicium formavit. Hæc doctrina eſt valde notanda à Confeſſariis.

RESOL. II.

An qui aſſerit de rebus Fidei ſe dubitaſſe, puniendus ſit tanquam Hæreticus? Ex part. 11. tract. 8. & Miſc. 8. Reſ. 47.

Sup. hoc lege doctr. præcedentis Reſ.

§. 1. AFfirmativè reſpondet Sanchez *in ſumma tom. 1. lib. 6. cap. 8. num. 13.* Sic enim aſſerit Sexto deducitur, hæreticum eò quod res fidei eſſe dubias credat fore externum, ſi dicat de rebus fidei ſe dubitare, quamvis non dicat eſſe dubias. Quamvis enim ſolum dubium abſque eo judicio non conſtituat hominem hæreticum (ut diximus *cap. præcedenti num. 12.*) & hîc ſolam ſuam dubitationem explicet. At cum moraliter (ut eo *num. 12.* fine diximus) cum ea dubitatione ſit conjunctum id judicium reddens hominem hæreticum, ea verba vehementem hæreſis præſumptionem inducunt: ac ſufficientem, ut Eccleſia poſſit id judicium præſumere, ac procedere contra illum, ac hæreticum. Ita Sanchez.

2. Sed circa hanc Sanchezij opinionem valdè dubitat, nec admittit Dicaſtillus *de Sacrament. tomo 2. tractat. 8. diſputat. 10. dubitat. 5. numero 57.* Quamvis enim multi dicant dubitantem de rebus fidei eſſe hæreticum, ſi cum pertinacia dubitet, ac proinde omnibus hæreticorum pœnis obnoxium, ut videre eſt apud eundem Sanchez *citat. capit. 7. numero 11.* ubi quam plurimos refert; alij tamen negant illum eſſe verè hæreticum; ac proinde non ſubjacere pœnis hæreticorum, dubitare enim propriè eſt non habere aſſenſum in alterutram partem: Hæreſis autem eſt error fidei contrarius, ut ipſe Sanchez ibidem docet *numero 1.* item fides, & hæreſis ſunt duo extrema, ſicuti aſſenſus, & diſſenſus circa eandem rem fidei, dubium verò eſt quaſi medium inter utrumque; nec obſtat, quod *cap. 1. de hæreticis*, qui dubius eſt in fide, dicatur infidelis, nam ut reſpondet Canus *lib. 12. de locis Theologicis. capit. 9.* dicitur infidelis non contrariè, ſed privativè, quia caret aſſenſu fidei, & etiam dici poteſt talis, quoad præſumptionem, ſed non re vera: præſumit enim jus cum tali dubio conjungi vitium contrarium. Nec etiam obſtat quod ille, qui dubitat, eo ipſo perdat fidem ut potè carens aſſenſu certo, in quo fidei ſubſtantia conſiſtit; nam ut rectè etiam reſpondet Canus, fides non ſolū amittitur per hæreſim, ſed per dubium quod inter hæreſim, & fidem eſt medium; ſicut color albus non ſolum per nigrum expellitur; ſed etiam per colores medios. Ne tandem obſtat quod error in fide cum pertinacia in baptizato ſit hæreſis: hic autem errat in fide, ut potè habens, quæ ſunt certa pro incertis, eo ipſo quod dubitat; hoc (inquam) etiam non obſtat, quia ille revera (ut dicemus) non habet judicium erroneum, ſed eſt merè pendulus. Ita Præter Canum, ſentit Sà *in ſumm. verbo hæreſis num. 1.* & idem Sanchez *cit. num. 12. cap. illo 7.* ſed de his alibi.

3. Ex quo fundamento conſtat probabile eſſe, quod quamvis revera habeat interius judicium contrarium: quo ille hæreticus judicet res fidei eſſe dubias adhuc ſi tantùm dicat, ſe dubitare de rebus fidei, non ſit externus hæreticus; illa enim verba ſolum ſignificant animum pendulum non verò animum habentem judicium contra fidem. Quod autem Eccleſia poſſit præſumere contra illum, non eo ipſo cenſetur ille ſufficienter hæreticus externus, nec video cur debeat puniri pœnis quibus puniuntur veri hæretici. Vnde contra delinquentes, quorum delictum ſolum manet in præſumptione, non ſolet in foro exteriori tam acris ferri ſententia, ſicut contra delinquentes plenè convictos, aut confeſſos. Verba autem ipſa etiamſi præbeant occaſionem ſuſpicandi illum habere animum hæreticum nullo tamen modo hæreticum animum ſignificant; neque id, quod non poſſit eſſe ſine hæretico animo, neque enim neceſſe eſt, ut eo ipſo, quod quis dubitat de aliqua re ſibi credenda propoſita, quaſi reflectatur ſupra ſuum actum dubitandi, cùm poſſit id non facere; ſive quia non cogitat de tali actu eliciendo; ſive, quia cùm ſubiit cogitatio illius, divertit ad alia objecta. Itaque ſolum, quod ita moraliter ſæpius contingit non videtur ſufficere ad illam plenam ſignificationem internæ hæreſis quam verba illa non ſignificant. Et hæc omnia docet Dicaſtill. *ubi ſuprà*, unde in facti contingentia à Dominis inquiſitoribus, & eorum Conſultoribus, attentè, & maturè cauſam talis perpendendam eſſe puto.

RESOL. III.

An qui dixit hæreſim externam, ſed poſtea dubitavit, an dum illam protulit, ita mente ſenſerit, vel illam affirmavit cauſa joci, quæritur, an talis hæreſis ſit reſervata?

Et an, ſi propter dubium illud inferior abſoluit ab hæreſi, v. g. vel ab alio peccato reſervato, & poſtea pœnitens re melius examinata, deponat dubium, & recordetur certò peccati commiſſi, quod erat reſervatum, cenſeatur jam legitimè abſolutus, an vero debeat recurrere ad Superiorem pro abſolutione?

Et an Hæreticus externus ſit ille, qui in ſomnis, aut ebrietate pronunciavit hæreſim externam?

Et alius curioſus caſus proponitur circa hæreſim in principio §. penult. hujus Reſolutionis. Ex p. 11. tr. 7. & Miſc. 7. Reſ. 19.

§. 1. AFfirmat Sanchez *in ſumma tom. 1. libro 1. capit. 10. numero 74.* quia quando eſt præſumptio fori externi pro veritate peccati admiſſi, illud peccatum eſſe reſervatum, quia dum conſtat de veritate, forum internum ſequitur præſumptionem fori externi. Ergo in caſu propoſito præſumptio eſt pro hæreſi, proinde illam hæreſim externam eſſe reſervatam, quia cùm verba ſint naturaliter ſigna internæ conceptionis, & intentionis niſi conſtet de oppoſito, non præſumitur proferentem aliud ſenſiſſe interius, & aliud ſeu alio modo exterius loquutum fuiſſe, ut colligitur ex *l. labeo verb. id tubero ff. de ſuppell. leg.* & confirmant quia in foro externo talis homo cenſeretur hæreticus, ergo idem eſt dicendum in foro interno.

Sup. contro. in hoc & ſeq. §. lege in to. 1. tr. 5. reſ. 42. per tot. & ſignanter §. Verū & vide alias reſ. ejus prima not. & ſi placet etiam ſecunda.

2. Verùm contrariam ſententiam docet Eminentiſſimus

tiſſimus Lugo *de ſacr.pœnit.diſp.*30.*ſect.*2.*numero* 18. ubi abſolutè & abſque diſtinctione ex pluribus Doctoribus me etiam citato firmat, * in dubio non cenſeri caſum reſervatum, nec admittit argumentum Sanch.deſumptum à foro externo in quo reputaretur, & puniretur ut hæreticus propter præſumptionem fundatam in verbis: eſt enim clara differentia: nam in foro externo verba externa probant hæreſim internam: & hæc probatio non infirmatur ſufficienter, cùm nihil afferatur quòd in foro externo probet contrarium: atque ideo reputaretur hæreticus ſimpliciter & abſolutè. At vero in foro interno contra præſumptionem fundatam verbis affertur aliquid ejus vim infirmans, nempè conſcientia, & teſtimonium pœnitentis, dicentis ſe dubitare de conſenſu interno: quod quidem licet in foro externo nou crederetur; creditur tamen in foro conſcientiæ, in quo ſtari debet dicto pœnitentis: quare creditur, quod verè dubitet de conſenſu ad hæreſim requiſito. Et hanc ſententiam Cardinalis Lugo ſequitur etiam noviſſimè Pater Bardi *in ſelectis libr.* 6. *quæſtione* 4. *numero* 9.

* Sup. hoc dubio in to. ... tr. 5. Reſ. ... à princi- pio, & Reſ. 43. per to- tam, & ſi- gnanter pau- lo Poſt ini- tium, à verſ. & conſtat. & in Reſ. 39. §. Nota etiã. à principio, & in Reſ. 41. in principio. & hic ſupra in tract. 2. Reſ. 5, §. ult. ad medium, verſ. unde.

3. Sed ponamus ſubdit Cardinalis Lugo *num.* 20. ſi propter dubium illud inferior abſoluit ab hæreſi v. g. vel alio peccato reſervato & poſtea pœnitens re melius examinata deponat dubium, & recordetur certò peccati commiſſi; quod erat reſervatum, an cenſeatur jam legitimè abſolutus, an vero debeat recurrere ad ſuperiorem pro abſolutione? Videtur dicendum ablatam eſſe jam reſervationem, ſi juxta id quod diximus ſupra *diſputat.* 16. *ſect.* 2. probabile eſſet quòd qui confeſſus eſt peccatum dubium, licet poſtea recordetur fuiſſe certum, non teneatur illud iterum ut certum confiteri, quia jam fuit ab illo directè abſolutus ſub conditione ſi fuerat commiſſum: ſimiliter enim in caſu præſenti remanet directè abſolutus, quia ille, qui in dubio abſoluit ab hæreſis peccato ad hoc maximè abſoluit ut ſi verè fuit peccatum, remittatur, ergo ſi poſtea conſtat fuiſſe verè peccatum: conſtat etiam fuiſſe abſolutum directè; ergo non remanet obligatio illud iterum ſuperiori confitendi. Hæc Lugo.

Sup. hoc cũ eodem Lugo in tom. 1. tr. 5. ex doctrina Reſ. ... §. Ad ſecundum, & in aliis ejus anot.

4. Verùm ego alibi non auſus ſum diſcedere à communi ſententia aſſerente peccata dubia certò poſtea cognita debere iterum clavibus Eccleſiæ in confeſſione ſubjici.

Alibi in Reſ. ... §. not. præ... & in ... annot. 2. ... §.

5. Sed pro curioſis non deſeram hìc apponere alios duos caſus quos affert Bardi *loco citato quæſt.*7. *num.*4. ubi ſic; ait. Colligo quòd ſi aliquis hæreticus internus diſcredat plura myſteria fidei, v. g. Trinitatem divinarum perſonarum, Euchariſtiam, incarnationem, &c. & volens deliberata intentione proferre exterius unum ex prædictis erroribus, &c. Deum non eſſe incarnatum, & tamen caſu præter ſuam intentionem proferat, corpus Chriſti poſt conſecrationem non eſſe in Euchariſtia) colligo inquam ex principiis ſupra poſitis talem ita loquentem non eſſe hæreticum externum, ita ut incidat in excommunicationem; & per conſequens prolationem illam externam non eſſe caſum reſervatum: ratio eſt, quia licet ille voluerit deliberata voluntate externè manifeſtare ſuum errorem, tamen illa manifeſtatio prout eſt manifeſtatio erroris interni circa Euchariſtiam, non eſt libera, & cùm neque fuerit manifeſtatio alterius erroris, ſequitur non eſſe reſervatam & quamvis caſum hunc apud neminem viderim excogitatum, tamen cenſeo evidenter inferri poſſe ex principiis ſupra poſitis: ſimilis huic eſt ille de quo loquitur Sanchez *libr.* 2. *Decal. capite octavo*, *numero* 25. dum ait hæreticum externum non eſſe eum, qui in ſomnis aut ebrietate pronunciavit hæreſim internam; & ratio quam adducit, eſt, quia tunc hæreſis externa excommunicationi ſubjicitur, quando procedit ab interna, quod debet intelligi liberè, & modo humano: at hæreſis in ſomnis pronunciata, quamvis aliquomodo procedat ab interna, nihilominus non procedit ab illa modo humano. Sic ego dicam, licet manifeſtatio illius erroris quo quis credit Chriſtum non eſſe in Sacramento Euchariſtiæ procedat ab errore interno, tamen non procedit ab illo liberè, & modo humano, ideoque non erit caſus reſervatus.

Quoad hoc infra Reſ. 5. ... lin. 12. ... doctri. ... verſ. Se... ca. & vide ... alium ... ejus not.

6. Et hæc omnia dicta eſſe volo ſecundùm mentem docti, & amiciſſimi viri. Et quidem communiter aſſerunt Doctores, Titium v.g. volentem percutere Caium Clericum ſi caſu, vel per ignorantiam percutiat Sempronium Clericum, hoc non obſtante incurrere in excommunicationem.

Sup. hoc magis late ſuperius in tr. 2. Reſ. 35. & in aliis verſ. primæ not.

RESOL. IV.

An Hæreticus externus per accidens occultiſſimus incidat in excommunicationem Bullæ Cœnæ? Ex part. 6. tractat. 6. & Miſc. 1. Reſolut. 51. Sed hic tantum primum dubium hujus Reſolut. tranſcribitur.

§. 1. QVoad primum: Negativam ſententiam probabilem eſſe docet Crouſers *in Regulam S. Franciſci, cap.*7. *lect.*4.*fol.*518. ubi ſic aſſerit Hactenus dictum eſt Hæreticum externum eſſe excommunicatum.* An verò omnis externus, etiam occultiſſimus, ſit excommunicatus; cujus ſcilicet hæreſis externa nullo modo probari poteſt, in foro externo dubitari poſſet. Sanchez confundens hæc duo externum & manifeſtum, accipit pro eodem externum & manifeſtum: vúltque omne externum cenſeri manifeſtum, ſaltem per ſe, & ſuapte natura: ſicut è contrario confundens internum & occultum, vult ſola interna eſſe occulta. Verùm non videtur mihi in tanta amplitudine accipi debere manifeſtum; aut ſub tanta reſtrictione occultum; quod hæc acceptio ſit contra communem uſum. Cùm enim dicitur, quod Eccleſia non judicat de occultis, & quòd propterea electio criminoſi omnino occulti ſit valida, non eſt ſermo de peccatis mentalibus. Vnde etiam probabile cenſerem, hæreticum externum, qui ſaltem denuntiari non poteſt, non eſſe excommunicatum; neque in re morali de occulto cenſendum metaphyſicè, ſed moraliter. Ita Crouſers.

* Sup. hoc in Reſ. ſeqq. §. 1. ad medium. verſ. Quartus licet & infra lege doctrinam Reſ. 7. & ſup. pr. in tract. 1. Reſ. 15.

2. Sed hanc ſententiam refellendam eſſe puto: & ideo illam rejicit Fagundez *de Præcept. Eccleſ. tom.*1. *lib.*1. *cap.*11. *num.*7. *& ſeq.* Hurtadus de Mendoza *de fide*, *vol.* 1. *diſput.* 83. *ſect.*4. §. 36. Suarez *diſp.*21. *ſect.*2. *num.*6. Azorius *tom.*1. *lib.*2. *cap.*8. *num.*6. & alij communiter. Et ratio eſt, quia Eccleſia habet juriſdictionem ad puniendos ſuos ob crimina occulta pœnis, quibus poſſint frænari ab eis admittendis; ſed id hac in parte eam feciſſe conſtat, quia excommunicatio lata eſt in omnes hæreticos, excepto nullo, qui ſit in juriſdictione fori externi; ergo, &c. Major probatur; quia illa delicta ſunt verè ſenſibilia, & externa; contingeréque potuit, ut aliquis adeſſet. Secundò quia aliàs nec occultus percuſſor Clerici ignotus ipſi Clerico, vel etiam notus, excommunicatione teneretur: immò & occultus homicida non eſſet irregularis; aliáque id genus ſequuntur abſurda.

3. Dices primò hæreſim mentalem eſſe tam per accidens occultam, quàm externam, & tamen quia eſt occulta, non meretur excommunicationem: ergo nec occulta per accidens. Probo majorem: quia hæreſis mentalis eſt per ſe cognoſcibilis à judice, quia per ſe poteſt hæreticus eam aſſerere: & potuit adeſſe teſtis hæreſis externæ. Nego majorem. Ad probationem reſpondeo, hæreſim mentalem per ſe nec poſſe percipi